

plerisque locis in desuetudinem abierit, tamen adhuc fieri potest, prout dictum jam est. II, de Calumniat. n. 10.

105. *Pœna torturæ, quid, an, et quando contra clericos adhiberi valeat?* — Resp. IV. Per torturam intelligitur gravior pœna corporis afflictiva ad hoc imposita, ut reus ad fatendam veritatem adigatur: Cui licet de jure antiquo clerici non potuerint subjici, prout ex l. *Militiæ*. 8, c. *De quæstionib.* et etiam Concil. Matisconensi I, can. 19, desumitur; tamen hodierna tribunalium ecclesiasticorum consuetudine et praxi recepta, clerici etiam sacerdotes torqueri possunt, prout cum aliis observat Farinacius *Prax. criminal.* quæst. 9, n. 7. Guazzinus *Defens. Reorum*. 33, cap. x, n. 3, qui tamen recte monet, ob præsumptionem innocentiae fundatam in ordinis et status dignitate, majora quam in laico requiri criminis indicia. Addit Clarus § fin. q. 64, n. 24, clericos præsertim sacerdotes, si torquentur, mitius quam laicos torqueri debere ob reverentiam statui debitam; qualiter in nostro ordine fieri possit et debeat tortura vide tit. I, huj. lib. a n. 472.

106. *Pœna exilii, seu relegationis, quid?* — Resp. V, per pœnam exilii, seu relegationem ordinarie intelligitur sola relegatio extra diocesin, quam episcopus contra clericum delinquentem adhibere hodie adhuc potest, et solet. c. 1, de Calumniat. can. *Cum beatus*. 8, dist. 45, cum Concordantiis, quod si episcopus ob gravitatem delicti etiam civitatis et patriæ jura clerico adimere, sicque perfectum exilium in eum decernere velit, brachium sæculare ad id implorare debet, c. *Si quis*, 2, de Clerico excommunicat. juncto concilio Tridentino sess. 24, de Reformat. cap. VIII, eo quod penes ecclesiam non sit exilium tam strictum indicare. Barbosa in cit. c. *Si quis*. n. 4.

107. *Pœna carceris, vel carceratio seu ad custodiam infligi potest, et quando?* — Resp. VI. Incarceratio seu carcer dupliciter decerni potest contra reum etiam clericum, videlicet primo solius custodiæ causa, quando nempe clericus suspectus est de fuga, c. *Clericos* 15, de Sentent. excommunicat. in 6, vel ne impediatur aut subornet testes, prout aliis allegatis bene docet Ludovicus de Ameno *Practica criminal.*, tit. Reus. § 2, n. 6, quo tamen in casu locus carceris quantum circumstantiæ admittunt, debet esse honestus, et corporis non afflictivus; simul-

que præcedere informatio saltem extrajudicialis de infamia rei, vel indiciis criminis ad constituendum reum sufficientibus, eo quod incarceration etiam solius custodiæ causa afferre soleat infamiam et præjudicium non facile reparabile. Jason in l. *Si se*. 4, § 6, ff. de Judiciis. Felinus in c. *Cum super*. 17, de Sentent. et re judicat. Ludovicus de Ameno loc. cit.

108. *Vel ad pœnam etiam perpetuo.* — Secundo decernitur, et accipitur pro pœna, in quo casu proprie formaliter dicitur quis incarcerari, et esse in formali carcere, in quo sensu, etsi de jure communi ad perpetuos carceres detrudi potuerint soli servi, l. *Servi* 10. C. de Pœnis, non item liberi homines, l. *Incredibile*. 6. C. eod. Jure tamen ecclesiastico, et recepta praxi hodierna formalis carcer tam perpetuus, quam temporalis pro pœna infligitur Reis, c. *Excommunicamus* 15, de Hæreticis. c. *quamvis* 3, h. t. in 6, ibi: « Quamvis ad reorum custodiam non ad pœnam carcer specialiter deputatus esse noscatur, nos tamen non improbamus, si subjectos tibi clericos confessos de criminibus, vel convictos (eorum excessibus, et personis, cæterisque circumstantiis provida deliberatione pensatis) in perpetuum, vel ad tempus, prout videris expedire, carceri mancipis pœnitentiam peragendam. »

109. *Ob quæ crimina carcer perpetuo infligitur?* — Ubi notandum, quod carcer perpetuus clerico in pœnam decerni non possit nisi ob crimina in jure expressa, vel ob quæ in sæculo pœna mortis infligitur, uti cum Innocentio, in c. *Tuæ*, 6, h. t. notat ibidem Abbas, n. 5. In quo casu etsi ob criminis valde enormis atrocitatem carcer exasperari possit, ita ut non nisi pane doloris et aqua angustiae sustentetur, c. *Novimus*. 27, de Verb. sign. et contra vitæ subsidium mortis solatium invocet, c. *Felicis*. 5, § *Si quis vero*. h. t. in 6, tamen vitæ necessaria non sunt subtrahenda.

110. *De pœna carceris, et effectu illius in nostro ordine. Remissive.* — Qualiter in ordine nostro circa incarcerandos procedi debeat: et quos effectus carcer formalis in pœnam impositus secum trahat, vide statuta generalia cap. v et cap. vi, item Ludovicus de Ameno, in *Practica criminal.* tit. pœnarum genera, a n. 73.

111. *Detrusio in arctum monasterium hodie non amplius est in usu; loco illius imponuntur trirèmes, vel perpetuo carceres.* — Resp. VII.

Detrusio in arctum monasterium antiquo jure solita, c. *Pervenit*. 2, de Adulterio. c. *Inter*. 10, de Purgat. canon. c. *Tuæ*. 6, h. t. cum concordantiis hodie in desuetudinem abiit, et loco illius vel trirèmes, vel carceres perpetui infliguntur. Fagnanus, in c. *Cum non ab homine*. Farinacius, in *Prax. crimin.* q. 119, n. 155.

112. *Pœna confiscationis bonorum quoque clericis imponi potest, et quomodo?* — Resp. VIII. Confiscatio bonorum clericis quoque imponi potest, c. *Urgentis*. 10, de Hæreticis. c. *Cum secundum*. 19, ibidem in 6, c. *Super*. 25, de Verb. sign. ita tamen, ut bona confiscata applicentur Ecclesiæ, in qua clericus, beneficium habuit, arg. c. *Excommunicamus*. 13, § *Damnati de Hæreticis*, quod si clericus nullum beneficium habuit, bona illius confiscata veniunt ad fiscum ecclesiæ vel episcopi, convertenda in pios usus. Farinacius, *Prax. criminal.* q. 190, a n. 154, notat tamen Sanchez, lib. II, *Moral.* c. 20, n. 25, quod si clericus beneficium non habet, fiscus sæcularis, quoad bona clerici patrimonialia ægre cedat. (ADNOTATIO XLVII.)

## TITULUS XXXVIII.

### De pœnitentiis, et remissionibus.

1. *De hac rubrica remissive, excepto sigillo confessionis.* — Agitur hoc titulo præcipue de virtute et sacramento Pœnitentiæ. Verum quia hæc materia penitus theologica est, et de hac theologi ex professo tractant, nil de ea hic agentes lectorem ad theologos, et nostram Theologiam moralem remittimus, illa duntaxat breviter tangentes, quæ circa sigillum confessionis sacramentalis ad jus canonicum spectare videntur, videlicet de judicio, et pœnis frangentium sigillum confessionis. Hinc

2. *Sigillum confessionis quid? Et quinam ad illud teneantur?* — Quæritur I. Quæ sint pœnæ violentium sigillum confessionis sacramentalis? Ante responsionem suppono, et naturam, et gravissimam obligationem servandi sigillum sacramentale, seu non revelandi sed secreta tenendi peccata cuncta, quorum notitiam ex sola confessione sacramentali, etiam simulata, vel alia inva-

lida, vel occasione confessionis sacramentalis habemus, adeo, ut etsi ad illud principaliter, et primario obligetur sacerdos confessionem sacramentalem percipiens; secundario tamen, et per accidens etiam reliqui quicumque tandem ad idem teneantur, ad quos notitia alicujus peccati in confessione sacramentali detecti, sive immediate, sive mediate, sive juste, sive injuste devenit, ut proin præter alios etiam sequentes graviter teneantur ad sigillum videlicet, qui potestate absolvendi carentes, peccata bona fide confitentis, vel ex ignorantia, vel malitia exceperunt, qui confitenti prope adstantes unum vel plura peccata illius etiam contra voluntatem suam, vel ex industria audierunt: qui alterius peccata ex confessione scripta et sic in confessionali deposita legerunt: illi, quibus confessarius vel ex inadvertentia, garrulitate, vel malitia manifestavit peccata confitentis; illi, quos confessarius de licentia pœnitentis ratione peccatorum in confessione auditorum consuluit; illi, a quibus petita est licentia absolvendi aliquem a casibus reservatis; item qui ex necessitate peccata sua altiori voce confitentem v. g. surdastrum, aut moribundum, aut in naufragio constitutum audierunt. Item internuntii et interpretes pœnitentium: et alii similes, de quibus etiam Theologiam nostram moralem vid. tr. XIV, dist. 9, q. 3; quo supposito.

3. *Pœna violentis sigillum olim præter depositionem erat perpetua peregrinatio, vel detrusio in arctum monasterium.* — Respond. I. Propter grandem, et toti Ecclesiæ summe præjudiciosam malitiam violationis sigilli sacramentalis Ecclesia semper subjecit et adhuc subjecit gravissimis pœnis sacerdotes sigillum sacramentale violentes, adeo, ut antiquo jure ab ordine sacerdotali deponi, et quavis stabili mansionem privati perpetuo ignominiose circumire debuerint. can. *Sacerdos*. 2, dist. 6, de Pœnitentia. ibi: « qui hoc fecerit (sigillum videlicet violaverit) deponatur, et omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat; » quæ tamen peregrinandi pœna utpote in opprobrium ordinis clericalis, et spirituale damnum peregrinantis ob circumvagationem continuam vergens agnita, postea mutata fuit in perpetuam detrusionem arcti monasterii, pœna depositionis manente c. *Omnis utriusque*. 12, § *Caveat*. h. t.

4. *Hodie vero præter depositionem est carcer*

*perpetuus.* — Verum quia hodie detrusio in monasterium abiit in desuetudinem, et loco illius suffecta est detrusio in perpetuos carceres juxta dicta supra tit. XXXVII, n. 111. Ideo ordinaria pœna violantis sigillum sacramentale præter depositionem hodie est carcer perpetuus, ita tamen, ut requiratur ad eam condemnatoria sententia. Lugo, *de Pœnit.* disp. 23, n. 117. Fagundez, *de Præcept. Ecclesie.* 2, lib. VI, cap. VII, n. 2, per jura citata.

5. *Ad quam tamen incurrendam pœnam requiritur ut violans sigillum sit sacerdos.* — Resp. II. Ut propter violationem sigilli quis præfatam pœnam, depositionem videlicet, et perpetuos carceres incurrat; sequentia requiruntur, videlicet I, ut violans sigillum sit sacerdos: quia citato c. *Sacerdos.* et c. *Omnis utriusque.* 12, h. t. solis sacerdotibus pœna memorata imponi jubetur, consequenter tanquam odiosa depositio ad alios extendi non debet. Hinc pœnæ præfatæ non subjacent adstantes, qui audita peccata confitentis aliis revelant, vel qui eorum notitiam ex schedula confessionis scripta habent, et produnt, vel qui ea a confessario inique revelante audire, etc.

6. *Verum aliquod peccatum mortale, vel veniale in specie revelans.* — II. Requiritur, ut sacerdos revelet verum aliquod mortale vel veniale peccatum in specie v. g. homicidii, jactantiæ, vel in genere dicat, talem confessum fuisse peccatum mortale: Diana, tract. XI, p. 5, resolut. 51, Suarez, *de Pœnit.* disp. 33, sect. 8, arg. cit. cap. *Sacerdos.* et c. *Omnis.* etc. ubi de solis peccatis fit mentio, consequenter de solis illis intelligenda venit juris dispositio; hinc licet illi, quia alia etsi alias sub sigillum cadentia, veluti defectus natalium, vel aliud quidpiam probrosum, aut præjudiciosum pœnitenti revelant, gravissime peccent, gravique arbitraria judiciis et quidem graviori pœna plectendi sint, quam violantes secretum naturale, ordinariæ tamen pœnæ violantis sigillum non subjacent; prout cum aliis bene observant doctores cit.

7. *Idque præsumptuose, seu graviter peccaminose.* — III. Requiritur, ut peccatum reveletur præsumptuose, id est graviter malitiose arg. c. *Omnis utriusque.* 12, § *Caveat.* h. t. ibi: *Præsumperit revelare.* Hinc licet ille, qui ex ignorantia, inadvertentia, vel in ebrietate, consequenter non præsumptuose, nec graviter peccaminose contra sigillum

revelat aliquod peccatum, aliqua extraordinaria pœna puniri valeat, tamen ordinariæ non subjacet; nisi forsitan in foro externo contra ipsum præsumeretur, eum cum sufficiente advertentia, consequenter præsumptuose, ac graviter peccaminose egisse; quæ præsumptio in foro externo utique fit, nisi sigillum violans aliud ex circumstantiis probet: cum alias pœna ordinaria a quovis facile eluderetur dicendo, se ex inadvertentia fuisse locutum.

8. *Manifestet alicui alteri, quam pœnitenti.* — IV. Requiritur, ut quis peccatum non ipsi pœnitenti peracta confessione, extra illam sine ipsius licentia objiciat, sed alicui alteri revelet; quia revelare proprie non dicitur nisi is qui secretum sibi commissum alteri prodit; quare extra confessionem objiciens peccatum ipsi pœnitenti, ordinariæ pœnæ non subjacet, sed extraordinariæ duntaxat. Granad., *de Sacram. controvers.* et tr. XI, disp. 8, n. 3.

9. *Judex in causa violati sigilli est solus ecclesiasticus, et quidem ordinarius violantis sigillum.* — Queritur II. Quis sit judex in causa violati sigilli? quomodo procedere debeat? quales probationes in ea requirantur, admittantur, et sufficiant. Resp. I. solus ecclesiasticus et quidem episcopus ordinarius rei est judex in causa violati sigilli sacramentali, quod solus ecclesiasticus, minime vero laicus hujus causæ sit judex, tenet cum communi aliorum Lugo, ubi supra n. 48. Gobath, *Quinar.* tract. V, n. 200. Et ratio est, quia cum causa violati sigilli ex annexo sacramento, sicque ex natura sua spiritualis, et ecclesiastica sit, soli ecclesiastico, non item laico judici competit c. *Decernimus.* 2, c. *Quando.* 3, de *Judiciis.* c. *Ut inquisitioni.* § *Prohibemus de Hæreticis.*

10. *Solvitur obiectio desumpta ab exemplis contrariis.* — Nec obstant exempla in contrarium Jacobi regis Aragoniæ, qui episcopo Gerundensi sigillum sacramentale violanti linguam a tergo extrahi jussit, teste Altrete, lib. II, *Eccles. discipl.* cap. XIX, n. 2. Et senatus Tholosani, qui sacerdotem sigilli violatorem in fuream agi, et cadaver ipsius igne cremari fecit, ut refert Raynaud. *Præci spirit. histor.* 13. Resp. enim præfatos vel ex delegatione Apostolica, vel in sacerdotibus prius degradatos processisse, alias contra immunitatem Ecclesiarum egisse; cum nulla etiam imperialis vel regalis auctoritas ha-

beat potestatem judicandi, et condemnandi personas ecclesiasticas, nisi ad hoc auctoritate ecclesiastica delegentur, vel persona ecclesiastica degradata potestati laicæ tradatur, can. *Nullus.* 2, can. *Clericum.* 4, cau. 11, q. 1, c. *At si clerici.* 4, c. *Cum non ab homine.* 10, de *Judic. cum concordantiis.*

11. *Ad formandum processum contra violatorem sigilli non requiritur licentia pœnitentis.* — Resp. II. Ad hoc, ut judex ecclesiasticus contra sigilli violatorem processum instituere valeat, non requiritur licentia pœnitentis, cujus peccata fuerunt sacrilege revelata. Ita cum aliis docet, et satis efficaciter probat Stoz, *Tribunal. pœnit.* lib. II, q. 4, a n. 288, contra Gobath, arg. cit. can. *Sacerdos.* 2, dist. 6, de *Pœnit.*, etc. *Omnis utriusque.* h. t. ubi prorsus nulla facta mentione de habenda licentia pœnitentis præcipitur, ut pœnæ ibidem præscriptæ inferantur violantibus sigillum. Ratio est, tum quia ex isto processu nullum emergit præjudicium pœnitenti, nec irreverentia sacramento; cum ex una parte notitia peccati ex violato sigillo habita, nullo modo noceat pœnitenti, utpote qui propterea nec inquiri, nec puniri potest, adeo, ut notitia illa perinde se habeat, ac si non adesset; uti fatentur omnes; tum, quia per istum processum potius evitatur, quam causatur irreverentia sacramenti, fidelesque potius animantur, quam absterrentur a confessione sacramentali, videntes, in sigilli violatores tam severe procedi. Tum quia obligatio sigilli introducta, et pœnæ violatoribus statuta sunt non tantum in bonum privatum alicujus pœnitentis, sed in favorem ipsius sacramenti, et totius Ecclesiæ, qui favor a privato consensu unius privati pœnitentis non dependet. Tum etiam quia violatio sigilli est crimen publicum arg. c. *Si quis suadente,* caus. 17, q. 4, utpote sacrilegium, quod criminibus publicis annumeratur l. *Si quis.* 10, c. de *Episcopo et cleric.* consequenter non attento privatorum assensu, vel dissensu patiendum venit.

12. *Si violator sigilli fatetur se reum, puniatur pœna ordinaria.* — Resp. III. Si quis via inquisitionis, aut denuntiationis vel accusationis de violatione sigilli judicialiter interrogatus se reum fateatur, alia probatione opus non est, arg. l. *Generaliter.* 13, c. de *Numer. pecun.* c. fin. de *cohabit. cleric. et mulier.* cum propria confessio sit optima probatio, per vulgaria.

13. *Si dicit, se peccatum vi notitiæ aliunde habitæ manifestasse; probare debet, unde illam notitiam habeat.* — Si vero dicat, se peccatum non ex aliqua confessione, sed tanquam aliunde sibi notum manifestasse, incumbit ei probare, qua via, et modo illius notitiam acquisivit: in qua probatione si deficit, et tamen in negatione violati sigilli perseverat, ex præsumptione violati sigilli puniatur pœna extraordinaria. Sylvester, §. *Confessio.* 3, n. 5. Abbas, in c. *Omnis.* h. t. n. 26. Lugo, loc. cit. 151, nisi aliunde plene convincatur; tunc enim ut convictus utique sentire debet pœnam ordinariam.

14. *Si dicit, se cum licentia pœnitentis revelasse peccatum, debet probare licentiam sibi datam, casu, quo pœnitens est delator.* — Si autem fatetur, se quidem peccatum ex confessione, sed cum licentia pœnitentis revelasse, onus probandi hanc licentiam incumbit revelanti, saltem in casu, quo pœnitens ipsum accusat, aut alias negat se licentiam dedisse; prout cum aliis bene advertit Lugo, loc. cit., eo quod licentia hujusmodi sit quid facti, quod non præsumitur, sed probari debet ab allegante c. *Cum in jure.* 31, de *Offic. deleg.* et l. *In bello.* 12, ff. de *Capt. et postlim.*

15. *Secus est si alicujus est accusator.* — Dicitur autem notanter, si pœnitens est accusator, quia si tertius aliquis accusat, vel defert, ei incumbit, alias probationes afferre ob præsumptionem stantem pro confessario; qui bonus, et sigillum servans præsumitur, donec probetur contrarium c. un. de *Scrutin.* c. final. de *Præsumpt.* et l. *Merito.* 51, ff. *Pro socio.*

16. *Etiam si pœnitens sit accusator, creditur confessario, si est ceteroquin integræ famæ, et vitæ.* — Imo etiam si pœnitens sit accusator, vel neget, se dedisse licentiam manifestandi peccatum, creditur confessario, licentiam sibi datam asserenti, casu, quo revelatio peccati parum vel nil præjudicat pœnitenti, simulque confessarius sit vir prudens, necnon integræ famæ ac vitæ. Secus foret, si revelatio facta esset multum damnosa pœnitenti, vel tertio, præsertim si pœnitens existeret probatæ vitæ, et conversationis; tunc enim pœnitenti contra confessarium credere; et hunc tanquam sigilli violatorem extraordinaria saltem pœna castigandum esse, bene cum aliis observat Diana, p. 41, tr. XI, resolut. 52.

17. *Si cæteris paribus dubium est, creditur*

*confessario*. — Porro si cæteris paribus dubium existat, confessario potius asserenti, quam pœnitenti neganti licentiam datam, credendum esse, bene cum aliis docet Mascardus, *de Probat.* conclus. 951, n. 30, ex illa ratione, quod in factis, quæ ad officium iudicis spectant, et aliter fieri non possunt, pro iudice præsumatur, arg. can. *Hoc etiam*, 37, cau. 2, q. 6, et can. *Absit*, 14, cau. 11, q. 3.

18. *Ad probationem violati sigilli sufficiunt testes singulares*. — Cæterum ad probationem violati sigilli sufficere etiam testes singulares cum aliis recte docet Tanner, t. IV, disp. 6, q. 9, n. 122, et Sbroz. *Tribunal. pœnit.* lib. II, q. 4, a n. 281. Tum ob enormitatem delicti summe præjudiciosi; tum quia ordinarie difficilis est probationis; dum sacrilegi violatores sigilli, pluribus simul præsentibus non sacrilege sigillum violent.

19. Ad hanc rubricam pertineret quidem etiam tractare de potestate absolvendi tam a communibus, quam reservatis peccatis; quia tamen de hac materia tractabimus infra tit. seq. § fin. ubi de potestate absolvendi a censuris agemus, lectorem illuc remittimus. (ADNOTATIO XLVIII.)

### TITULUS XXXIX.

#### De sententia excommunicationis, suspensionis et interdicti.

1. *Ratio ordinis*. — Post pœnas vindictivas sequuntur pœnæ ecclesiasticæ spirituales, censuræ videlicet ecclesiasticæ quæ sunt excommunicatio, suspensio, et interdictum: de quibus singillatim per plures agemus paragraphos, prius tamen sit.

#### § I.

##### DE NATURA ET DIVISIONE CENSURÆ.

2. *Censura unde derivetur?* — Notandum prius, nomen censuræ a censendo derivatum, olim apud Romanos denotasse tum officium, tum sententiam censoris mores corrigentis, et pœnam decernentis. Quare occasione posterioris acceptionis factum est, quod censura hodie adhuc significet correctionem quandam, et punitionem,

juxta illud Juvenalis, satyra 1: «Dat veniam corvis, vexat censura columbas.» Hoc notato.

3. *Quid sit?* — Quæritur I. Quid sit censura ut sic? Resp. I. Censura ut sic est pœna ecclesiastica spiritualis, medicinalis, per potestatem ecclesiasticam contumaciter delinquenti christiano inflicta, privans usu quorundam bonorum spiritualium ad hoc, ut corrigatur, et a contumacia desistat. Ita in re communis. Et patebit ex declaratione singulorum verborum.

4. *Est pœna spiritualis*. — Dicitur imprimis; pœna spiritualis, tum ob differentiam pœnarum corporalium, vel temporalium, v. g. pœnæ pecuniariæ, exilii, carceris, etc. Cujusmodi pœnæ non est censura, utpote quæ neque corporis afflictionem, nec privationem bonorum temporalium principaliter intendit, etsi per accidens, et secundario has etiam secum trahat, ut dum v. g. excommunicatio privat communionem politica, et civili, privatione fructuum beneficii, etc. uti cum aliis bene advertit Avila, *de Censur.* p. 1, dub. 4, n. 2.

5. *Est pœna medicinalis*. — Dicitur medicinalis; quia censura non est pœna vindictiva sceleris jam patrati, sed potius est pœna medicinalis intendens futuram correctionem delinquentis, id est, inobedientis potestati ecclesiasticæ sub censura aliquid præcipientis, vel prohibentis, arg. c. 1, *de Sent. excomm.* in 6, ibi: «Cum medicinalis sit excommunicatio, non mortalis, disciplinans, non eradicans, dum tamen is, in quem facta fuerit, non contemnat.»

6. *Non nisi a potestate ecclesiastica imponi potest*. — Dicitur, per potestatem ecclesiasticam imposita; quia, cum potestas mere sæcularis spiritualia tractare nequeat, can. *Judicatum*, 5, dist. 89, c. *Decernimus*, 2, *de Judic.* cum concordantiis, potestas ferendi censuram soli potestati ecclesiasticæ, et quidem jure divino competit, juxta illud Matth. xvi: «Quæcumque alligaveritis super terram,» etc. et xviii: «Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus,» hoc est, a fidelium communionem segregatus. Hinc jam a tempore Apostolorum hac potestate constanter usa est Ecclesia, ut fideles a contumacia, et rebelli inobedientia reducens et avertens, ad obedientiam salutaribus suis præceptis, et sanctis magis promptos elliceret.

7. *In specie quinam inferre possint censu-*

*ram?* — Quæritur II. A quibus in specie infligi possit censura? Resp. In specie potestas ferendi censuram imprimis præcipue incumbit Summo Pontifici, et episcopis, c. 1, et c. *Conquerente*, 16, *de Offic. ordinar.* juncto conc. Trid. sess. 6, c. iii, et sess. 14, c. iv, *de Reform.* Cardinalibus in Ecclesiis sui tituli *His quæ, de Majorit.* Legatis Sedis Apostolicæ in territorio suæ legationis, c. *Novit*, 7, *de Officio legati*, et c. *Legatos*, 2, eod. in 6. Capitulis cathedralibus sede vacante, arg. c. *Unicum, de Majorit.* in 6. Vicario generali non tantum episcopi, sed etiam capituli sede vacante, c. *Venerabilibus*, 7, h. t. n. 6. Prælatibus, et præpositis ecclesiarum collegiatarum, et aliis habentibus jurisdictionem in foro ecclesiæ externo, arg. c. *Quærenti*, 20, *de Verbor. signif.* et c. 1, h. t. in 6. Item abbatibus, et reliquis superioribus regularibus non solum generalibus, et provincialibus, sed etiam per se loquendo localibus, utputa, prioribus, rectoribus, guardianis respectu suorum subditorum, c. *Cum in Ecclesiis*, 10, *de Majorit.* c. ult. *de Statu monach.* c. *Sicut tuis*, 33, *de Simonia*, juncta Glossa *ŷ. Anathematis, de Simonia.* Et tandem conciliis generalibus, et provincialibus in sua provincia aut natione: sicut et congregationibus, et capitulis omnium, et provincialibus religionum, Navar. *Man.* c. 27, n. 5; Suar. *de Censur.* disp. 2, sect. 2; Palao, tr. XXIX, disp. 1, sect. 4, a n. 2.

8. *Et ob quam causam*. — Quæritur III. Ob quam causam ferri possit censura? Resp. I. Excommunicatio major, et alia censura gravis non nisi ob culpam mortalem externe contra ecclesiasticæ potestatis præceptum contumaciter commissam infligi potest. Communis, et certa. Et quidem quod requiratur culpa gravis, seu peccatum mortale, patet; quia pœna, ut sit justa, debet esse proportionata culpæ, consequenter cum excommunicatio sit gravissima pœna, c. *Cum non ab homine*, 10, *de Judiciis*, gravem utique requirit culpam, arg. can. *Nemo episcopus*, 39, can. *Nullus*, 40, cau. 11, q. 3. Conc. Trid. sess. 25, *de Reform.* c. 3.

9. *Excommunicatio major, vel alia censura gravis non infligitur, nisi propter peccatum mortale*. — Dicitur autem notanter in conclusione, excommunicatio major, vel alia censura gravis; quia excommunicatio minor licet re non adeo levi videlicet passivo quorundam sacramentorum usu privet, c. *Nobis*, 2, *de Except.* nihilominus quia facit a

quovis sacerdote tolli potest, c. *Nuper*, 29, gravis censura non reputatur, et ideo ob solam etiam venialiter peccaminosam communicationem cum publice denunciato excommunicato contrahi potest, prout cum communi aliorum bene observat Palao, tr. XXIX, disp. 2, pun. 18, n. 7. Pariter propter levem culpam quandoque etiam imponi potest levis aliqua suspensio v. g. ab uno actu electionis, a Missa celebranda per unum vel alterum diem, prout notat Piring, h. t. n. 27; Layman, lib. I, tr. V, p. 3, n. 2. Navarrus, Suarez, et alii.

10. *Externum*. — Dicitur ulterius externum, quia cum Ecclesia non possit cognoscere peccata mere interna, ea neque judicare ac punire, valeat, sed relinquatur soli Deo puniendum. Navar. c. 17, n. 56; Suarez, l. cit. disp. 4, sect. 1, cum communi, arg. can. *Cogitationis*, 14, *de Pœnit.* dist. 1, c. *Sicut tuis*, 33, in fine, c. *Tuas nos, de Simonia.*

Nec obstat Clement. 1, § *Verum, de Hæret.* ubi excommunicantur inquisitores aliquid facientes ex amore, vel odio; quia intelligi debet textus non solo interno odio vel amore, sed prodeunte in actum externum vitiosum indicem pravi affectus interni, Palao, tr. XXIX, disp. 1, pun. 7, n. 4; Covarr. in *Regul. peccatorum*, p. 2, n. 7.

11. *Contra præceptum ecclesiasticum*. — Dicitur ulterius contra potestatis ecclesiasticæ præceptum commissam; quia ob peccatum solo jure naturali aut divino prohibitum nulla contrahitur censura, cum hæc sit pœna inobedientiæ, contemptus, et contumaciæ contra potestatem ecclesiasticam, uti de excommunicatione patet ex c. 1, h. t. in 6, illis verbis Christi, «si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnicus et publicanus.» De reliquis censuris vero c. *Ex parte*, 23, *de Verbor. signif.* Notandum tamen, multa peccata jure divino et naturali, simul etiam jure ecclesiastico, et quidem sub censura esse prohibita.

12. *Contumaciter, seu cum aliqua contumacia commissum*. — Dicitur insuper in conclusione n. 8 posita, contumaciter commissam, quia ad incurrendam censuram omnino requiritur contumacia seu inobedientia contumax, qua delinquens moventis sui præcipientis ecclesiasticæ potestatis auctoritatem spernere censetur, ut cum communi bene observat Navar. *Manual.* c. 29, n. 9.

13. Nec obstat quod quis non solum ob contumaciam, sed etiam ob aliam causam